



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Concilia Provincialia Mediolanensis Sex

Borromeo, Carlo

Venetiis, 1602

Cura in alijs cautionibus tuendæ publicæ valetudinis. Cap. VIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62072](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62072)

Cura in alijs cautionibus tuendæ publicæ valetudinis. Cap. VIII.

S V M M A R I V M.

1. Tuenda publicæ valetudinis causa edicta, & qualia ab Episcopo proponenda. 2.
- Prefecto Regionario.
3. Vicario foraneo. } quæ facultates concedenda.
- Visitatoribus.
- Parochi
4. Ecclesiasticorum aliorum } cura, & cautio in publicæ valetudine
- Magistratus } procuranda.
5. Decurionum. }



Is adiuuentis spiritualibus alias cautiones Episcopus adhibebit. Atque in primis quidem edictis Episcopalis, aliaque omni ratione de publica valetudine tuenda certas rationes inibit, atque edicet, quas cum in locis Ecclesiasticis, tum ab hominibus Clericalis ordinis, ab alijsque Episcopali iurisdictioni subiectis inuolant ob

bonum publicum seruari mandabit.

2. In omni autem deliberatione, & cautione, quam tuendæ publicæ incolumitatis causa suscipiet, id studebit, ut consultationibus cum magistratu sanitatis habitis, quicquid ipse eo nomine cauerit, cum illius publicis edictis, ad valetudinis publicæ commodum, pie & rectè pertinentibus, non dissentiat, nec discrepet; sed in omni eius generis ratione, quæ ad bonum publicum tota refertur, vnus, idemque sit vtriusque consensus, summaque in re adiuuanda publicæ charitatis conspiratio.
3. Idem præter ea, quæ hac instructione demonstrata sunt, potestatem etiam præfecto regionario, & Vicario foraneo, ac alijs visitatoribus faciet, alia non modo generatim, sed speciatim statuendi, atque exequendi, quæ in pestifera contagione vtilia opportuna, & necessaria illi viderint ad publicam valetudinem tuendam, quæ ab Episcopalis præscriptis, & regulis non discrepent.

Quicquid verò illi agent, opportunèque ac necessariò statuent, id quam primùm Episcopo significabunt.

In omni autem re, quam Magistratus sanitatis aget, vel cauebit, publicæ

blicæ valetudinis causa, operam dabunt, vt diligentem eius cautionem, studiaque imitentur ad Episcopalem regularum præscriptum.

4 Parochi etiam, ceterique Ecclesiastici homines id vnum quoque maximè studebunt, vt publicam valetudinem omni charitatis officio curent, ac præterea in executionis vsum accuratissimè perducant quæcumque non solum hac instructione explicata sunt; sed quæ Episcopus hoc ipso de genere, prout opportuna viderit, publicæ salutis causa statuerit, & quæ item præfectus regionarius, aut Vicarius foraneus, aliusuè visitator monuerit, mandaturuè: immo etiam si Clericalis ordinis homines sunt, qui intrâ alicuius Parochiæ fines habitant, illa quoque seruabunt, quæcumque vel ex hac instructione, vel ex Episcopi voluntate, vel alia iusta ratione Parochus commune fecerit.

Quæ præterea à magistratibus Decurionibusuè ad eam publicæ incolumitatis rationem piè, ac vtiliter constituentur, eadem, vt à populo planè seruentur, omni cohortationis officio monebunt.

5 Magistratus autem, & decuriones, vt eidem publicæ valetudini prospiciatur, & consulatur, cum omnia sapienter Christianæque pietati congruenter agent, tum valdè cauebunt, quæ diuino cultui, & caritatis officijs cum impedimentum afferre possint, illa maximè fugienda, suo loco infra demonstramus, ac vehementer in Domino monemus.

Sollicitudo in vniuscuiusque præparatione spirituali.
Cap. IX.

S V M M A R I V M.

- 1 Episcopi sollicitudo in confirmationis sacramento ministrando.
- 2 In generali peccatorum confessione agenda.
- 3 In sacramentorum penitentiæ, & Eucharistiæ frequentatione.
- 4 In hortando ad pietatis operum exercitationem.
In suadendo, vt res alienum dissoluatur.
Vt lites componantur.
- 5 Vt testamenta conscribantur.
Vt res domesticæ, ante mortem, explicentur.
Præfectorum Regionariorum.
Vicariorum foraneorum.
- 6 Visitatorum.
Parochorum.
Præfectorum Collegijs, & Confraternitatibus.

} sollicitudo eadem,
que supra Episcopo præscripta.

B

Sol-